

subjectum sufficienter mutatum, ut terminet dilectionem Dei, sufficienter, inquam, dispositive, non formaliter: et licet ille actus non possit displicere Deo tamquam dispositio ad formam justificantem, non tamen reddit gratum et placens Deo ipsum subjectum formaliter, sed dispositive et affective, non tamquam dignificans subjectum. Et licet tantum habeat de bonitate, quantum actus peccati de malitia, tamen hoc est in ipsa operatione et actu, non in ipsa dignificatione formaliter subjecti. Unde sicut actus peccati avertit actualiter, sed transeunte actu manet macula habitualiter, ita charitas convertit actualiter et operative, requirit tamen aliquid habituale quod convertat formaliter, et permanenter dignificando: præterquam quod actus contritionis in ratione satisfactionis non habet tantum de recompensa, quantum actus peccati de injuria, sed hoc pertinet ad rationem satisfactionis.

XVIII. Ad confirmationem respondetur in primis esse differentiam inter actum beatitudinis, et actum charitatis viæ, quia actus beatitudinis nunquam transit, sed perpetuo durat, similiter reddit hominem impeccabilem, eo quod destruit formaliter omne dictamen defectuosum, unde petit, vel potest oriri peccatum, et ita ex vi illius quasi totum subjectum redditur unitum, et conversum ad Deum permanenter, et impeccabiliter perfectiori et eminentiori modo quam per solum habitum gratiæ, quod totum non convertit actu charitatis in via.

XIX. Secundo respondetur, quod actus beatitudinis si daretur sine habitu gratiæ non redderet hominem justum, sed maneret in esse moraliter, et solum in esse physico beatus, atque ita separaretur beatitudo moralis a beatitudine physica.

Et quando instatur, quod beatitudo est consummatio gratiæ, et justificationis, respondetur id verum esse de beatitudine completa, non solum physice, sed moraliter et de beatitudine connaturali modo existente, non ita præternaturaliter, sicut tunc esset: videre enim Deum, et non habere Deum placatum, et conversum ad se, est habere beatitudinem physicam tantum, non moralem, et secundum quod est moralis rectitudinis consummatio, et directio, sed præcise ut est visio, et fructio summi boni. Aliud est de unione hypostatica, hæc enim non tenet se ex parte actus, sive operationis, sed ex parte operantis, et ipsius personæ, et sic reddit sanctificatam naturam in ipso suo principio operandi ut quod, ratione cujus ita unitur naturæ Deo, quod eminentiori modo reddit illam sanctam quam gratia, scilicet permanenti et substantiali visione.

XX. Ad testimonia sanctorum et patrum, respondetur illa esse omnino inefficacia, nam cum patres loquerentur de eo quod de facto fit, et constat de facto infundi habitum gratiæ, nec solo actu formaliter justificari, perperam afferuntur ad probandum quid posset facere actus de potentia absoluta, quia si aliquid probant, probant de facto non justificari per actum, vel nihil probant. Quare intelliguntur illæ, vel similes auctoritates in sensu causali, non formali, eo modo quo dici potest dispositionem ultimam expellere formam dispositive, et causaliter, non formaliter: sic actus contritionis, et dilectionis dicitur quod expellit peccatum, et justificat, et est animæ pulchritudo dispositive et causaliter, non formaliter. Quæ expositio ex Concilio deducitur, dum dicitur contritionem præparare, et impetrare nobis justificationem. Concilium autem in sensu patrum loqui-

tur, et Scripturæ, cum convertentibus se, et pœnitentibus (quod utique fit per contritionem) dicit dari propitiationem, et misericordiam Dei, Eccles. XXVII: *Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se*: Isai. LV: *Revertatur ad Dominum, et miseretur ejus*: et Jerem. III *Convertimini filii revertentes, et sanabo vos*. Igitur ipsa conversio non est formaliter sanitas, et justificatio, si quidem post conversionem datur ex misericordia Dei: ergo dispositio est conversio, non forma.

ARTICULUS II.

Utrum de potentia absoluta possit remitti peccatum sine aliqua intrinseca mutatione, et effectu Dei gratuito?

I. Postquam determinavimus in præcedenti articulo justificationem illam, quæ fit per interiorem renovationem, non posse fieri sine forma habituali, restat nunc inquirere an possit fieri justificatio sine hoc quod sit renovatio interior, et consequenter sine forma intrinseca, quæ tollat peccatum tam in ratione privationis et maculæ, quam in ratione offensæ erga Deum. In qua difficultate quæ latissime solet ab auctoribus disputari, unum invenio certum, et in duobus consistit tota difficultas. Certum est, quod ut tollatur peccatum in quocumque subjecto, et in quocumque statu requiritur aliqua voluntas Dei saltem extrinsece remittens, et condonans peccatum, quæ sine dno io est gratia extrinseca. Nam cum peccatum odio habeatur a Deo, si ejus voluntas eodem modo se habet erga peccatorem, habet illum offensum sibi, et consequenter non tollitur peccatum, et offensæ: si ergo tollitur voluntas

Dei, non habet odio, sed diligit, vel remittit offensam.

II. Difficultas est in duobus. Primo, an sit necessaria etiam de potentia absoluta voluntas Dei, non solum condonans, et remittens peccatum, sed etiam diligens, quod sit acceptans peccatorem ad suam amicitiam; an vero sine amicitia Dei possit tolli offensæ: secundo, an sit necessarius aliquis effectus hujus dilectionis, et voluntatis Dei gratiæ ad extra productus, et in anima receptus; ita ut sine illo etiam de potentia absoluta possit tolli peccatum.

III. In qua re magna est sententiarum multitudo et confusio, quas omnes si ad longum persequeremur rem totam amplius confunderemus, sed breviter reducimus diversarum auctorum placita ad tria præcipua capita. Nam quidam per unum extremum existimant posse peccatum remitti homini tam in hoc statu, quam in statu puræ naturæ sine ulla gratia intrinseca in homine recepta, et sine ulla extrinseca acceptante ad amicitiam Dei. Ita tribuitur Scoto, et sequitur ad ejus fundamentum, qui existimat transeunte peccato, nihil de illo manere, nisi obligationem ad pœnam, quæ obligatio potest a Deo sine admissione ad suam amicitiam relaxari. Expresse sequitur hanc sententiam, licet ex alio fundamento Curiel hic articulo II, dub. II, §. VIII. Eandem sententiam Scoti, probabiliorem reputat Nugno II tomo, III p. disp. IX, sect. III, ubi etiam num. XIII docet posse dari, seu remitti peccatum sive dilectione Dei, qua velit nobis bonum conferre, sed solum qua velit malum auferre: multum autem accedit ad fundamentum Scoti, licet illud primo rejiciat, quatenus præter privationem gratiæ nihil existimat relinquere post peccatum, nisi aliquid morale, seu respectum ad actum pec-

cati præcedentem, quod sola morali remissione tolli potest.

IV. Secunda sententia est eorum qui existimant posse remitti, et tolli peccatum sine aliqua gratia intrinseca, et physica mutatione, non tamen sine extrinseca gratia, et Dei voluntate acceptante hominem ad suam amicitiam. Ita tribuitur Soto libro secundo de natura et gratia, capite xviii.

V. Denique tertia sententia existimat nec sine gratia extrinseca, quæ sit physica mutatio actualis, vel habitualis, remitti posse peccatum, ita quod non requiritur præcise mutatio facta per gratiam habitualem, seu formam, nec præcise facta per actualem, sed una, vel altera distinctive. In quo quidem sensu solet accipi communiter sententia Thomistarum, de qua tamen statim dicemus in resolutione dubii. Solum adverto mutationem hanc quæ requiritur ab ista sententia ad remissionem peccati, multipliciter explicari solere. Primo enim potest fieri mutatio per unionem hypostaticam vel visionem beatificam sine ulla gratiæ infusione: secundo potest fieri mutatio ista per actum contritionis, vel dilectionis, quæ licet non sit forma justificans ex propria ratione, et quantum ad renovationem interiorem permanentem, et habitualem (ut articulo præcedenti ostendimus) potest tamen sufficere ad justificationem extrinsecam, eo quod transacto actu contritionis potest manere ordo, et respectus ad talem actum præteritum: tertio in homine existente in statu puræ naturæ, potest reparari peccatum etiam intra illum statum et ordinem, si quidem non peccat contra Deum auctorem supernaturalem, sed contra finem naturalem: ergo a solo Deo auctore naturali potest reparari illud peccatum, et non per infusionem alicujus doni supernaturalis, quia sic extra-

heretur a statu puræ naturæ; ergo per solam mutationem naturalem. Denique si Deus hominem peccatorem annihilaret, et iterum reproduceret, in illa reproductione non haberet peccatum, alias haberetur ex sola causalitate divina reproducente illum hominem in peccato: ergo per solam mutationem substantialem annihilationis, et reproductionis potest deleri peccatum sine alia gratia: annihilatio enim gratia non fuit, reproductio solum est donum creationis.

VI. Nihilominus pro resolutione dico: Probabilius est perfectam, et propriam ablationem peccati tam in ratione maculæ, quam in ratione offensæ fieri non posse sine divina dilectione acceptante hominem ad suam amicitiam, et consequenter de se productiva gratiæ, sive de facto illam producat sive non, imperfectam autem remissionem peccati, et quasi inadæquatam posse fieri sine ista gratia acceptante ad divinam amicitiam. Ex parte autem effectus hujus divinæ dilectionis, qui est gratia habitualis in anima, non implicat peccatum esse ablatum sine tali gratiæ receptione.

VII. Hæc conclusio est conformior S. Thomæ in hoc articulo secundo, et communis inter Thomistas, licet antiqui non ita distinxerint inter gratiam extrinsecam, et intrinsecam, sed absolute senserint sine gratia non posse peccatum remitti, etiam de potentia absoluta, quantum ad rationem aversionis, et offensæ. Ita Cajetanus et Conradus super hunc articulum secundum; Ferrariensis iii contra gentiles, cap. clvii; Capreolus in iv, dist. i, quæst. ii, articulo iii, in solutione argumenti Scoti. Frequentius tamen nunc tenetur aliquam mutationem requiri, vel actualem, vel habitualem ad remissionem peccati, non tamen habitualement præcise esse necessariam, quæ

est effectus dilectionis divinæ acceptantis ad suam amicitiam. Et favet multum S. Thomas in isto secundo articulo dum inquit, quod non potest intelligi remissio culpæ nisi adsit infusio gratiæ, quod ad minus intelligi debet de infusione quasi activa ex parte dilectionis Dei, quidquid sit de infusione positiva, et effectu recepto in anima. Et quando dicit D. Thomas intelligi non posse, satis significat se loqui de potentia absoluta. Unde subdit in solutione ad secundum, quod peccatum et gratia sunt opposita immediate respectu hominis lapsi; ergo censet non posse dari statum medium, in quo tollatur culpa, et non sit gratia. Et idem habet in quæstione xxiv de veritate, articulo secundo ad quartum.

VIII. Et quidem loquendo absolute de perfecta ablatione peccati, prout dicit reparationem omnium damnorum, quæ per actum incurruntur, conclusio nullam habet difficultatem, etiam apud oppositos auctores; constat enim quod unum ex damnis peccati est ablatio gratiæ: ergo reparatio omnium damnorum non potest intelligi sine restitutione gratiæ ablatæ. Sed non loquimur solum in hoc sensu, esset enim quasi sensus identicus, proinde ac si diceretur quod non potest, restitui gratia sine gratia: intelligimus ergo per perfectam ablationem peccati, tollere ipsum in ratione maculæ, et offensæ, et quantum ad ipsam indignationem, et fœditatem intrinsecam peccati; ita quod non possit judicari homo intrinsece dignus aliqua pœna ex vi hujus culpæ, ablatio autem imperfecta, et inadæquata peccati potest dici, vel quia non tollit indignitatem intrinsecam, et fœditatem peccati, sed solum obligationem ad pœnam, quæ fundatur super talem indignitatem, et ex sola voluntate creditoris de-

obligantis debitorem tolli potest; vel est ablatio ipsius peccati quasi dispositiva, non quasi formalis, sicut per actum contritionis dispositive, non formaliter tollitur peccatum.

IX. Dicimus ergo, quod ut tollatur peccatum non solum quoad obligationem extrinsecam ex parte creditoris, sed etiam quantum ad intrinsecam indignitatem requiritur dilectio Dei acceptans hominem ad suam amicitiam, et causativa gratiæ. Et probatur, quia quidquid sit de obligatione illa extrinseca, tamen ipsa intrinseca indignitas tolli non potest nisi voluntas Dei reddat hominem gratum, et dignum intrinsece divina dilectione, quia quamdiu non est dignus tali dilectione, non tollitur intrinseca indignitas peccatoris, nam peccatum facit hominem intrinsece indignum, quia facit intrinsece aversum a fine ultimo, et consequenter indignum omni bono pertinente ad talem finem ultimum, et omni jure habendi talia bona: ergo quamdiu non datur dilectio Dei acceptans hominem ad talia bona, non potest judicare illum esse dignum talibus bonis. Si autem Deus non judicat illum esse dignum, non tollitur ab illo indignitas peccati, quantumcumque non velit illum obligare ad satisfactionem offensæ; ergo requiritur actus divinæ dilectionis acceptans hominem ad eandem dignitatem, quam antea habebat, et per peccatum est ablata, ut dicatur tollere ipsam indignitatem intrinsecam peccati.

X. Sed licet hæc ratio probet efficaciter requiri istam dilectionem divinam ad remittendum peccatum in homine elevato ad finem supernaturalem, quia talis peccator incurrit indignitatem privativam bonorum supernaturalium, et quamdiu illa indignitas privativa non tollitur, non tollitur intrinsece, et per-

fecte peccatum, in quo sensu videtur loqui D. Thomas in corpore articuli secundi cum dicit, quod effectus dilectionis divinæ, qui per peccatum tollitur, est gratia qua homo fit dignus vita æterna, a qua peccatum mortale excludit, et sic loquitur de remissione peccati mortalis, ut excludentis vitam æternam, et privantis gratia, tamen pro actu puræ naturæ non convincitur quod indigeat homo dilectione Dei acceptante ad suam amicitiam, quia illam homo non amisit, sed acceptante ad rectitudinem finis naturalis, qua solum privatus est. Ideo universaliter explico rationem D. Thomæ, tam in corpore articuli, quam in solutione ad primum, ad ostendendum quod etiam in statu puræ naturæ peccatum commissum non potest perfecte deleri, nisi per actum dilectionis Dei supernaturalis. Et probatur, quia remissio peccati facti in statu puræ naturæ est remissio aliqujus supernaturalis effectus: ergo indiget dilectione Dei supernaturali. Consequentia patet, quia effectus supernaturalis non potest oriri, nisi ex voluntate, et dilectione Dei supernaturali: ergo ipsa voluntas condonandi, et remittendi peccatum quæ supponit ordinem ad effectum supernaturalem, manifeste supponit dilectionem Dei supernaturalem. Antecedens probatur, quia quando Deus totaliter remittit peccatum, perfecte remittit omnem satisfactionem quam de jure posset exigere a peccatore, sed pro peccato etiam facto in statu puræ naturæ posset Deus ex justitia exigere satisfactionem de rigore justitiæ, et secundum æqualitatem, et damnare hominem pœna æterna, et cruciatu ignis in spiritum, quæ omnia, ut patet, clare supernaturalia sunt, nam satisfactio ex rigore justitiæ clare constat quod est supernaturalis, et cruciatu ignis in spiritum

est super omnem naturam creatam: ergo remissio istarum satisfactionum tollendo indignitatem, et obligationem ad illas, pertinet ad Deum auctorem supernaturalem. Patet consequentia, quia condonat aliquid ad quod habet jus: sed non habet jus ad supernaturalem satisfactionem nisi ut auctor supernaturalis, quia possessio juris naturalis pertinet ad auctorem supernaturalem: ergo cedere illi juri sic possessio pertinet ad auctorem supernaturalem, et ad dilectionem supernaturalem: remissio autem est cessio, et condonatio juris. Et hoc videtur contineri in ratione D. Thomæ, dum colligit requiri infusionem gratiæ ad remissionem peccati, quia requiritur quod Deus sit placatus, quod fit per dilectionem divinam, quæ dilectio producit effectum gratiæ in nobis, ubi aperte loquitur de dilectione acceptante nos ad amicitiam remittendo perfecte omnem satisfactionem peccati, et reddendo dignos sua dilectione.

XI. Secunda pars conclusionis tangit difficultatem illam satis gravem de mutatione quæ requiritur ex parte subjecti ut possit remitti peccatum, quæ est effectus dilectionis Dei, et non apparet an requiratur mutatio per formam habitualement vel actualem naturalem vel supernaturalem, moralem vel physicam. Ut autem breviter et clare respondeatur, advertet duplicem effectum divinæ dilectionis posse hic intelligi, scilicet physicum et moralem. Physicus qui tollit privationem realiter relictam ex peccato, scilicet aversionem a fine ultimo, quæ privatio dicitur physica pura, quia realiter datur et dicitur moralis, quia est voluntaria, et libera in sua causa, scilicet in actu ex quo resultat: moralis effectus est ille, qui tollit indignitatem moralem peccati, id est, illud jus quod habet peccator caren-

do omni beneficio Dei, incurrendi pœnam sibi debitam; sicut existens in rectitudine habet jus ad bona debita talis statui rectitudinis, et ad præmium quod meretur, qui status rectitudinis potest esse vel naturalis, vel supernaturalis, prout dicit conversionem ad finem naturalem tantum, vel etiam ad finem supernaturalem.

XII. Dico ergo, quod ut tollatur peccatum perfecte quantum ad privationem, et indignitatem intrinsicam, sine dubio requiritur aliqua mutatio physica in subjecto, etiam de potentia absoluta, quæ destruat privationem oppositam, cujus oppositum tenet Suarez supra citatus: sed probatur unica ratione contra ipsum, quia implicat tolli aliquam privationem existentem in subjecto, nisi vel destructo subjecto, vel posita forma privationi contraria, si quidem privatio non potest tolli per suspensionem concursus, cum non dependeat a concursu Dei: ergo vel tollitur per oppositam formam vel per desitionem subjecti: per desitionem subjecti est maxima mutatio physica, sed non proveniens ex dilectione Dei, sed ex suspensione concursus: mutatio autem per oppositam formam est mutatio physica, quæ tali privationi opponitur: ergo omnino necessaria est etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam aliqua mutatio subjecti, ut tollatur ista privatio, et remittatur peccatum perfecte; alioquin semper manebit subjectum privatum, et aversum a Deo intrinsece: nisi forte dicatur peccatum non relinquere hanc physicam privationem in subjecto (quod modo supponimus ex materia de peccatis) quia physica conversio ad finem ultimum non manet in peccatore: quod stare non potest, cum Concilium Tridentinum sessione quinta dicat, quod peccatum originale inest unicuique proprium,

quod non potest verificari de sola denominatione extrinseca, sed de reali privatione, quia denominatio extrinseca non inest unicuique, sed est extra illum quem denominat.

XIII. Sed adhuc inquires in particulari, an de potentia absoluta sit necessaria mutatio physica per formam habitualement, vel sufficiat per actualem, ut Deus perfecte remittat peccatum. Respondetur sufficere actualem, ut communiter sentiunt theologi, et videri potest in Montesinos hic disp. xxxiii, quæst. vi, §. ii, et Nugno, aliisque supra relatis. Ratio est, quia licet actus non opponatur formaliter privationi habituali peccati et immediate, opponitur tamen dispositive et mediate: unde hoc ipso quod relinquit voluntatem conversam ad finem ultimum, licet non sit formalis renovatio animæ, formaliter tamen tollit oppositam determinationem voluntatis, qua voluntas conversa est ad creaturam, et hac voluntate sublata privatio, seu aversio peccati, quæ ex voluntate resultat in anima non amplius manet voluntaria, quidquid sit an maneat in esse physico; sed etiam ex vi talis conversionis non dicitur homo formaliter sanctificatus per renovationem animæ interiorem quantum ad duo. Primo, quia solum convertit voluntatem affectivam, et sic solum tollit aversionem in esse voluntatis, non tamen illam aversionem, quæ est in essentia animæ, quasi privatio physica, sicut invenitur in peccato originali: secundo, quia non reddit Deum conversum ad hominem, licet reddat voluntatem conversam ad Deum: et iste est proprius effectus gratiæ, reddere Deum conversum ad hominem, et placatum per intrinsicam hominis renovationem; sed non potest Deus de sua absoluta potentia, posita illa conversione in homine, ei reddi placatus per extrinsecam voluntatem